
QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-sexta Januarii.



M. JOANNE-BAPTISTA CHOMEL, Doctore Medico, Præside.

An Dysenteriæ Vomitus?

I.

UT sanitati sic & morbo subjicitur corpus vivens, partes ejus tum solidæ tum fluidæ (humores scilicet & spiritus) his paritèr obnoxiæ. Sanitas in essentiali firmaque constitutione posita, accidentibus penè infinitis dejicitur; hinc morborum in genere, ut & causarum differentia multiplex. Velut umbra corpus, causam effectus, ita morbum symptoma sequitur; interdùm tamen causæ, aliàs morbi naturam induit. Symptomatum tria in communi genera; Actio læsa, Vitium in excretis ac retentis, qualitates corporis mutatæ. Actionem læsam arguunt quæ depravatam verbi gratia Chylosim sequuntur incommoda, ut ἀποσιτία, ἀπεψία, δυσπεψία &c. Vitium in excretis præ se ferunt omnes alvi fluxus, præsertimque Dysentericus. Qualitates denique corporis mutatas exhibent quæcumque naturales sensuum operationes, spirituumque animalium legitimum ad partes influxum interpellare apta sunt. Varia hæc symptomata non sedabis, corpusque pristinæ integritati non restitues, nisi priùs fomites morbi causas amoveas.

II.

QUÆLIBET corporis viventis pars suos patitur affectus. Quæ innumeris penè gyris circumducta infimam hujus regionem occupant, ipsa quoque luis morbificæ dant pœnas intestina, laxis mesenterii flexibus quasi intersuta insigni cavitate pollent, ut liberior excrementorum εὐπορίας commeatus fiat. Triplici ut & stomachus involucro obducuntur: Prima seu interior tunica villosa nervosaque glandulis donatur, è quibus stillat liquor mucosus intestinalis; Cæteris amplior rugas annulares, sive cellulas intestinorum efformat, Arteriæ mesentericæ venæque mesaraicæ & lacteæ

per ejus superficiem variè dissеminantur. Secunda crassior & carnosa duplici fibrarum Circularium & longitudinalium se invicem decussatim secantium serie pollet; his mediantibus motus peristalticus perficitur, quò ut purior & magis defæcatus liquor per lactea vasa secernitur sanguinem amico rore instauraturus, sic eòdem crassior & tartarea alimentorum pars foras ejicitur, juvante non nihil musculorum abdominis contractione. Tertia tandem intestinorum tunica seu exterior nervosa tota est, à peritonæo oritur, aliasque obvestit. Intestinorum multæ ac vehementes sunt passiones, Colica, Iliaca, alui fluxus, &c. Has inter formidabilis Dysenteria, doloris acerbitate præ cæteris horrenda, nec ullis cedens periculi magnitudine. Illius quatuor species [a] sanguinea, hepatica, melancholica, ac intestinalis proprie dicta: Cujuslibet, curationem quisquis aggreditur, is priùs causas scrutetur accuratè, hasque debellet ocyùs & potenter.

[a] Gal. 3. de sympt. Caus. cap. 1°.

III.

NIMIA sanguinis quantitate aut Effervescentia vasorum intestinalium oscula referante, sanguinea exurgit Dysenteria, plethoricis, mutilis, otiosis, & interruptam evacuationem per Nares, menstrua, hæmorrhoidesvè patientibus valdè familiaris; in hac sanguis sincerus ejicitur, non purulentus, non ater, hæc in synochis febribus aliquando critica. Summam cruoris cruditatem ab hepatis vitio inductam arguit hepatica, biliosa tum sanguinis portio in jecoris glandulis non ritè transcolatur, redundat copiosior in intestina, Chylosim pervertit, sanguisque haud bellè defæcatus; magnâque seri Biliosi copiâ factus dilutior ad instar loturæ carnium recens mactatarum per laxatos ductus mesaraicos absque dolore effluit: hic fluxus hepaticus propriè nuncupatur. A sanguine crasso, nigro, velûti grumoso, picis liquidæ naturam referente originem ducit melancholica, huic in terdùm succus quidam acer aut acidus permiscetur, cujus spiculis vasorum orificia referantur, eroduntur vè. Intestinalis denique (veræ de quâ hic agimus Dysenteriæ) fideles asseclæ cruciatus sunt acerrimi, ventris tormina dejectiones cruentæ, frequentes, purulentæque interdùm, graveolentes, ulceris intestinis plerumque inusti totidem indicia, febre stipata ut plurimùm: Immania hæc symptomata anodynis præsidiis vix obtemperantia vomitu citius tutiusque sedantur.

IV.

DYSENTERIAM externæ sæpè generant causæ, ut prava alimenta potulentavè, acriora pharmaca, iniqua pariter aeris inclementia, vigiliæ immodicæ, vehementioresque & corporis &

animi motus. Hæc omnia pravam in ſanguine διάθεσιν inducunt; ſeparandis humoribus heterogeneis, non ſufficiunt emunctoria, ſuccique nutritii reficiendis partibus inepti in inteſtina velût in ſentinam defluunt, fædamque in iis excrementorum colluviem promovent. Ab internis plerumque bile nimirùm ſuccoque pancreatico vitiatis dyſentericus producitur fluxus, quatenus fermentatione præter naturali acriores, acidioreſvè redduntur, ſtygiam acquirunt indolem, inteſtinorum fibrillas pungunt, inflammant, ulcerant, gangrænamque & ſphacelum dira malignitatis ſuæ procreant argumenta. Nec immunes à Contagio manent meſenterii glandulæ, ſeroſus acris & ſalſus, quo tunc ſcatent, liquor huic ce profluvio materiam non mediocrem ſubminiſtrat. Nimiæ Ciborum ingurgitationis infelix ſæpiùs ſoboles Dyſenteria; helluonum ſtomachus alimentorum onere prægravatus iis coquendis impar Chylum crudiorem in inteſtina ſinit effluere; bilis ſuccuſvè pancreaticus (quantumvis perficiendæ Chyloſi ſint idonea) ventriculi errorem non valent emendare, Chyli particulas craſſiores nec ſatis diſſolutas tenuia reſpuunt lactearum oſcula, non admiſſæ in cellulis inteſtinorum ſtagnant, aceſcunt, arteriolarum erodunt ora, unàque ſanguini permixtæ per anum amandantur. Tot malis non pauca ſubveniunt Præſidia, feliciter celebratur venæ ſectio, moderata, habitâ nempè ratione ætatis, virium, febris, inflammationis, & plethoræ. Cruciatus compeſcunt ut cunque hypnotica. Inteſtinorum ſordes eluunt enemata. Verùm inter alia palmam meretur ἔμετος, fruſtra V. S. curationem tentabis, ſanguis aliquâ ſui parte oleoſâ & balſamicâ ſpoliatus Effrænatæ bilis impetum non ſedabit. Efferus humor narcoticis per leve duntaxat temporis ſpatium concatenatus, ſolutus poſteâ furias aget huc & illûc vehementius. Enemata craſſiorum tantùm inteſtinorum balnea, gracilium inquinamenta ſpurcitiaſque non expurgant. Solus ἔμετος utramque implet paginam, à ventriculo ad anum quidquid eſt heterogenei everrit, primò quidem in ventriculi rugis inſidioſus latitans hoſpes, quâ brevior patet aditus, per os ejicitur; Noxii deindè & excrementitii humores inteſtinalem tubulum inficientes per alvum exturbantur.

V.

DYSENTERICI fluxus cauſas à vitio ventriculi primarumque viarum intemperie ſæpè ſæpius oriri nemo non fatebitur; Nullum autem præſentius Remedium, nullum aptius harum partium morbis præſidium quam vomitus: In hoc multiplices ventriculi fibrarum ordines irritati convelluntur, contractis præſertim circularibus & tranſverſis illius fundus & latera ſurſùm trahuntur, ca-

vitaſque coarctatur adeò ut contenta per hoc aut illud orificium expellantur; verum cum anguſtior ſit pylorus Æſophago, majorique fibrarum carnearum copia polleat, arctiùs conſtringitur, concluſaque per aditum patentiorem, Æſophagum nempè, ſurſùm rejiciuntur: in hoc conſtrictorio ventriculi motu ſivè ſyſtole, Glandulæ in interioris tunicæ nerveæ interſtitiis collocatæ premuntur quaquâ verſum, liquoremque copioſum effundunt, quò diluuntur ſucci heterogenei, faciliuſque forâs eliminantur; ſurſùm quidem in ſyſtole per Æſophagum; deorſùm vero in Dyaſtole per pylorum in inteſtina. Convulſivo etiam fibrarum ventriculi motu vicinæ exagitantur ſuccutiunturque partes ob conſenſum nervorum ex eodem pari vago & intercoſtali prodeuntium; Ductus pancreatici & Cholidoci uberiorem profundunt humorem cujus portio contractione jejuni inteſtini per pylorum, dùm explicatur, in ventriculum evehitur: futuroque vomitui materiam ſuppeditat; Altera ſucci pancreatici, biliſque effuſæ pars inteſtinorum fibrillas vellicat, liquoremque quo turgent eorum glandulæ exprimit, cujus adventu diſſolvuntur ulteriùs humores excrementitii, citiùſque & faciliùs per alvum exturbantur. Mechanicis his qui in vomitu contingunt motibus non ſolùm ſtomachi alvinarumque partium abſtergentur ſordes, ſuccorumque degenerum adaugetur exitus, verùm etiam copioſior ſpirituum animalium promovetur influxus, quorum acceſſu recreantur hæ partes, harumque fibræ nerveæ vitioſorum humorum ſaburrâ quâ immergebantur laxiores factæ, horum onere ſublevantur, priſtino reſtituuntur ſtatui, & naturalem aſſequuntur tonum: hinc vis mira Ipecacuanhæ & ſtibii, quæ eo tutiùs Dyſenteriam ſiſtunt, quo vomitum uberiorem cient. Nauſeâ tandem, ſingultu, anorexiâ, aliiſque ejuſmodi ſymptomatis Dyſentericos præſertim infeſtantibus, quid tùm magis naturam ſequitur ducem quam vomitus.

Ergo Dyſenteriæ Vomitus.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Urbanus Leaulté.	*M. Nicolaus Bailly.*	*M. Bertinus Dieuxivoye.*
M. Michaël Pichonnat.	*M. Joannes Duval.*	*M. Guillelmus Petit, Sereniſſimi Delphini, Med. prim.*
M. Franciſcus Piсoté de Beleſtre.	*M. Claudius Quiquebeuf.*	*M. Franciſcus Pajot, Antiquior Scholæ Magiſter.*

Aſſerebat Pariſiis JACOBUS SIMON GILLES DE LA RIVIERE Cenomanus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1698.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.